

D. F. G.
 SPEICMEN ACADEMICUM,
 DE
MATERIALISMO
 QUOD,
*Suffragant. Ampliss. Facult. Philos. in Reg. Acad.
Aboënsi,*

PRÆSIDE,

VIRO Maxime Rev. atque Amplissimo,
DN. C A R O L O
MESTERTON,
 S. S. Theologiæ DOCT. nec non Log. & Metaph.
 PROF. Reg. & Ord.
Ventilandum modeste sifit,
 STIPENDIARIUS REGIUS
 GABRIEL NYLANDER,
 SMOLANDUS.

Ad Diem XIX. Decembr. Anni MDCCCLIII.
 Loco horisque consuetis.

ABOE, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc.
 Finland, JACOB MERCKELL.

VIRO Admodum Reverendo atque Praclarissimo
DN. MAG. HENRICO
OMALANO,

Ecclesiarum, quæ Deo in Wehmo & Lockalax colliguntur *ANTISTITI* longe meritissimo, vicini districtus *PRÆPOSITO* gravissimo, ut *NUTRITIO* Indulgentissimo, ita *PATRONO* omni pietate ad cineres usque prosequendo, devenerando.

VIRO Plurimum Reverendo atque Praclarissimo
DN. NICOLA O
HEDEEN,

Ecclesiarum, quæ Deo in Læthala & Hinnerjocki colliguntur, *PASIORI* meritissimo, ut *NUTRITIO* Optimo, ita sincero affectu nullo non tempore Venerando.


EX quo sors felicior mihi concessit, vestros, Patrōni & Benefactores Optimi, salutare lares, tot tantaque favoris vestri in me plane singularis exti-

existiterunt monumenta, ut plura & majora ab
affectus paterno in filium proficisci vix potuerint.
Vos etenim per triennium & quod excurrit ita
fortunam meam afflictam amplificastis, ut parum
desit, quin mens mea tandem revirescere incipiat.
Vos haud minimis vestris impensis ad lyceum hocce
illustre per spatum duorum fere annorum studia
mea promotum iri haud gravati fuistis. Vos de-
nique prolixiori animo in memet contulistis perplu-
rima, eademque luculenta admodum beneficia, quo-
tidieque supra, quam dici potest, favore & bene-
volentia me excepistis. Quid? quod, ni vestram
in me extare voluisseis liberalitatem, haec pagellæ
lucem nunquam adspexissent publicam. Quan-
tum itaque vobis debeam haud sum nescius. In-
terim, quid est, quod vestra refundere valeat bene-
ficia? in me, præter voluntatem debitum votum
exsolvendi animumque haud ingratum publice osten-
dendi, reperitur prorsus nihil. Accipiatis itaque
fronte serena specimen hocce serotinum, quod vobis
offertur, non in solutionem debiti, sed grati ani-
mi tesseram, neque aditum illius ad propensioris
vultus conspectum intercludatis, quamvis nulla alia
re quam materia dignitate vestrum demereri queat
beneplacitum. Adspiciatis ergo pietatem & obo-
sequium, non rudia mea conamina, obsecro! Mc-
arum

arum e contrario erit partium, Deum, ea, qua
debet animi submissione venerari, ut in ecclesia
aedificationem, Familiae vestre tutelam & solatum
nos incolumes & superstites omniq[ue] felicitatis
flore cunctatos perennare jubeat. Ita roveo ad
tumulum usque permanensurus

Adm. Rever. & Plur. Rever.
NOMINUM VESTRORUM

Cultor obseruantissimus,
GABRIEL NYLANDER.



§. I.

Aterialismus est hypothesis,
qua nulla, præter materia-
lia, darentia statuitur; num
vero hæc, quatenus absur-
da, quosdam invenerit de-
fensores, merito dubitari
posset, nisi in historiis nobis
occurrerent ejusdem sententiæ plures, quam o-
ptarent cordatiiores, patroni, inque his vir non
indoctus isque Christianus, seculi tertii Scri-
ptor, qui *Clementina* exaravit. Recentiorum æ-
tatem si spectas, *Hobbesius* commemorandus
est, qui haud quidquam a corpore sejunctum
esse voluit in Leviathane Cap. XII. Nactus est
Hobbesius asseclas in Anglia permultos, qui
cogitationem corporis essentiæ non repugna-
re putant, in quibus est *Lockius*, qui in libro
de

de intellectu humano scripsit & desendit, nos
de animæ immaterialite certos esse non posse,
dum nesciamus, annon Deus, per infinitam
suam omnipotentiam, materiæ suam cogitan-
di concederit facultatem. Scepticismo univer-
sali hocce suo asserto aperit. Cuilibet subje-
cto, quidlibet tribui, sub illo posset prætextu,
quod substantiarum natura incognita, ideo-
que non satis exploratum sit, annon asini vo-
lare, forsan & aquilæ veluti serpentes humi
repere, per interiorem naturam occultam, pos-
sint. Quod est absurdum.

§. II.

EX definitione *Materialismi* patet, hypo-
thesin hancce in illo præcipue consiste-
re, quod materia perceptionum ac volitionum
sit subjectum, quodque substantiae materia-
li, seu corporeæ, intellectus & voluntas con-
veniant. Unde *Cowardus* medicus anglus in
trastatu speciali probare nisus est, substantiam
spiritualem esse conceptu impossibilem figmen-
tumque Philosophicum.

§. III.

Substantiam materialem, seu corpus, hisce
affectionibus spiritibus tantum propriis,

non

non gaudere, hic breviter ostendendum est. Omnes corporum, qua talium, mutationes, in motu consistunt, aut motu fiunt. Si igitur materia, ut Patroni *Materialismi* statuunt, cogitet, fiet hoc per motum, & erit cogitatio aut ipse motus, aut ejus saltem effectus; si ipse motus sit cogitatio, aut omnis motus talis erit, aut certa aliqua motus species, non illud, quia sic omnia, quae moventur quocumq; modo cogitarent, & habemus eandem prorsus cogitationis ac motus ideam; neq; hoc, quia ad speciem motus nihil, quod motus in genere non involvit, praeter certainam quandam determinationem, accidit, unde sequeretur, nos non magis cogitationem sine motu concipere posse, quam celeritatem motus sine motu. Rursus si cogitatio erit effectus quidam motus, vel immediatus erit, vel mediatus. At inter immediatos motus effectus, nihil invenimus praeter mutationem loci, magnitudinis, figuræ, situs, ordinis manifestam cum re extensa, & cum ipso motu cognitionem habentium. Inter quos cum sane non reperiatur cogitatio, utique nec cogitatio numerari potest inter immediatos motus effectus; nec mediate quidquam efficere
A2 pot-

potest motus, nisi per illa superius commemora-
ta, quibus cogitatio nihil magis dissimile habet
quam ipsi motus. Finge enim quamcumq; par-
tium magnitudinem, figuram situm, & videbis
te nihil invenire non ab omni cogitatione alie-
nissimum.

§.IV.

POrro patebit commentum *Materialistarum*
plane absurdum esse, si ad varias cogi-
tationum species descendamus. Nam I.O.
Si ulla spes esset mechanice & per motum ex-
plicandi cogitationis indolem, Procul dubio
hoc facillime in iis cogitationibus procederet,
quæ res sensibiles repræsentant. Vide autem
quousq; hic progredi possint *Materialistæ*. Ne-
monegaverit, objecta, per motum aliquem or-
ganis impressum, imagines quasdam sui in ce-
rebro excitare, quas etjam spirituum animali-
um motu, vel fortuito, vel a mente determinato,
repetit phantasia, cessante jam externa objecti
actione; verum corporeæ illæ imagines toto
cœlo distinctæ sunt ab illis ideis & cogitatio-
num formis, quas mens immediate percipit,
dum objecta externa cognoscit. Si enim ultra
corporeas illas species in cerebro depi-
ctas, nihil imagiſ ad perceptionem requiritur:
quid

quid obstat, quo minus cogitationem in speculo,
 species externarum rerum itidem recipiente ad-
 fingamus. 2:do Cum innumera percipiamus
 ab omni materia alienissima, dicent adversarii
 quomodo hæc immaterialia vel materiæ aliquem
 motum excitare, vel aliqua specie materiali re-
 præsentari possint. Quod ut numquam vel cum
 minima veri specie præstare queunt de ullo
 intellectus puri objecto; ita 3:o insuperabilem
 plane difficultatem ipsis speciatim pariunt ideæ
 universales per abstractionem mentis formatæ,
 cum enim motus nullus in natura occurrat; ni-
 si singularis, & ad certa individua determina-
 tus; explicent per absurdam suam hypothesin
 modum, quo formentur ideæ illæ universales
 ab omni individuo & determinata ejus ratione
 abstractæ. 4:to Si reliqua omnia tentamina
 ex voto *Materialistis* succedere at, aqua certe
 ipsis hæreret, si conarentur per motum expli-
 care vim illam admirabilem mentis, qua per sen-
 sum quendam reflexum se ipsum & cogitationes
 suas percipit. Motus enim quo corpus aliquod
 in se ipsum reflecteretur, ut contradictorius, ita
 plane concipi nequit; imo cum mens de qua-
 cunque re cogitans, sui semel & cogitationis
 suæ

suæ est conscientia, adeoque in omni cogitatione
a se ipsa patiatur. Eadem difficultas ubique
se offert, neque enim intelligi potest, quomo-
do hoc fieret per motum materiæ, nisi in se
ipsam reflexæ, qualem motum absurdum esse
evicimus. 5:to Tandem cum quilibet nostrum
vim quandam mentis activam inse deprehendat,
cujus beneficio potest se ad quodlibet objectum
ita convertere, ut se ipsum cogitationis au-
torem esse sentiat, manifestum est, talem acti-
vitatem in materia, quæ tota est passiva fru-
stra singi. Et si, quis contra omnem ratio-
nem, corpori motum quendam activum tribu-
eret, profecto, cum talis activitas sine vita
sui conscientia, adeoque sine cogitatione concipi
nequit, sequeretur tamen, cogitationem utpote
motu priorem, non posse ex adversariorum hy-
pothesi vel motum vel motus effectum esse.
Quæri potest, an omnes particulæ animæsimul
junctæ & certo modo agitatæ cogitent ? vel
quot partes habeat cogitatio ? an vero sin-
gulæ seorsim cogitent & aliquid faciendum
proponant ? Sed quod tunc pro una cogi-
tationes in homine non existant ? Quid
illud est, quod has particulæ ad talem
ssim vel

vel talem motum determinat, ut talis vel talis cogitatio existat? Quod est principium voluntatis, ut jam hoc jam illud pro lubitu cogitem? sunt verba Clar. Lauff. in atheo amente pag. 88.

§ V.

Diximus antea, Materialistas omnia negare entia, quae materia non constant, unde prono fluit alveo, in hac hypothesi talem etiam singi materiam, quae facultatum cognoscitivarum sit capax, qualis videlicet, secundum sententiam eorum, in entibus cogitatione & volitione praeditis reperitur. Hoc modo non solum animam humanam verum & ipsum Deum materialem faciunt, & proinde facile prolabi possunt in eam sententiam, quasi ipse mundus esset Deus; supposito enim materiae competere ea attributa, quae solis merito adscribuntur spiritibus, nihil videtur obstat, quo minus eadem etiam attributa huic mundo competere, adeoque hic mundus pro ente a se, sive ipso Deo haberi possit. Hinc sunt qui Materialismum simpliciter hypothesis atheistica in appellant, quasi cum Atheismo induculo nexo coha-

cohæreat, ac ideo *Materialistas* promiscue omnes in numerum *Atheorum* referunt. Evidem non inviti concederimus cum Rev Moshemio, eos qui Deum corpore quodam esse præditum existiment, inter illos haud esse continuo referendos, qui penitus divinam rationem & naturam tollunt. Nam qui causam quandam rerum omnium æternam esse dicit, eamque sapientia non modo & potentia summa valentem, verum etjam liberissimam, & omni necessitatis lege solutam, is, tametsi de non nullis naturæ hujus proprietatibus & virtutibus, secus ac hominem decet intelligentem, sentiat, non tamen pro *Atheo*, & supremi Numinis hoste haberi debet. Tanta nimirum humani ingenii est imbecillitas, ut non minimam interdum veri partem complectatur, nec tamen omnia, quæ cum illo conjuncta sunt, perspiciat. Exemplo nobis sunt ex antiquis Christianorum doctoribus non pauci, idemq; magni nominis *Zertulianus*, *Melito* & alii, ne quid de veteribus doctrinæ cœlestis corruptoribus, dicam, qui quum de Deo alioquin magnifice sentirent, ita tamen animum a consuetudine oculorum non potuc-

potuerunt abstrahere , ut Deum ab omni corpore secretum esse crederent . Adeoque hæc erronea sententia originem imbecillitati hominum debere videtur , in illis præcipue , qui vitam Deo acceptam ducere omni nisu elaborant : qui vero econtrario vitæ rationibus Deum negant , licet opinione & præceptis , singula , quæ illi competunt , attributa adsererent , malitiæ tamen ac perversæ voluntatis documentum produnt . Vellem , hoc semper animadverterent eruditæ , qui de aliorum , veterum imprimis philosophorum , religione & pietate disputant . Faciles plerique sumus in accusandis & excusandis antiquis philosophis : neque vero ita faciles essemus hac in re , si humani generis indolem , corruptionem & miserias , si recessus ingenii nostri , si denique verborum ambiguitatem ob oculos semper positam habemus . Cudworthi Syst. Int. pag. 69.

§ VI.

Materialistarum error multo crassior imo pejor est Antropomorphitarum errore . Tribuunt quidem Deo corpus humanum Antropomorphitæ , sed admittunt etiam Deum

esse spiritum infinitum. Quoniam itaque Materialistæ non Deum nisi corporeum admittunt, patet eorum errorem, Antropomorphitarum errore multo pejorem esse.

§. VII.

DE origine animarum, quam erronea *Materialistarum* sententiasit, facile ex hypothesi eorum concludere licet. Infantem sine anima nasci credunt, & eam deniq; cum halitu attrahere docent, vid. *Hobb.* in *Leviath.*, sed fallit sententia, quæ nullam nisi materialem dari substantiam præsumit. Quid enim? Ne materiales substantiæ existere possent, nisi immateriales præsupponerentur. Omne ens materiale, quid est aliud quam collectio plurimum rerum a Deo conditarum, in quas dividi potest, a nobis confuse repræsentata? Singulæ autem conditæ *res*, quoniam in duas dimidias res, aut in tertiam, quartam, quintam &c. partem unius creaturæ & rei dividi amplius nequeunt, ideo eas oportet esse simplices. Perardua res cognitu est, quomodo ex substantiis simplicibus nasci corpus posse? Hic jacet Philosophorum labyrinthus, in cuius perplexis meatibus ad rectitudinem

vocandis tōt se exercuerunt Philosophi.
Materialista cogitationibus ab omnibus re-
bus sensualibus abstractis parum assuetus
ultra imaginationem igitur sensusque sape-
re nolit, ortum corporum ex spiritibus in-
possibilem esse autumat, ejusque loco omnem
materiam esse in infinitum divisibilem, pro aris
& focis defendit. Omnis substantia necessario
est simplex. Negasne? num quædam substan-
tia composita videtur? Euge, dictum examina-
bimus! si quæ substantia est composita, erit ali-
quid ex quo coaluerit: id est: aderunt partes
ingredientes. Illæ ipsæ partes, quæ compositio-
nem pariunt aut substantiae sunt aut accidentia
aut nihil. si substantiæ sunt, tum composita sub-
stantia non erit una, erit collectio plurium
contra hypothesin, qua assumimus unam com-
positam. Si partes constitutivæ accidentia sunt,
ex pluribus accidentibus substantia prodibit,
quod est absurdissimum. Si partes nihilum
sunt, tum composita substantia componetur ex
nihilo. Insulse: Si talis divisibilitas materiæ
in infinitum datur, creatæ non erunt substantiæ u-
na, sed unitæ, tantum, & aliæ unitæ quidem
aliis unitis semper minores sine progressus ter-
mino.

mino. Unde quid una substantia sit, nec ipse Deus assequitur determinate, omnisciencia ejus semper perventura ad substantias novas unitas, & minores: nullo attacto unarum substantiarum termino. Quod iterum est absurdum. Forsan datur causarum efficientium regressus in infinitum, ut prima caussa efficiente non opus sit, sicuti datur progressus causarum materialium, quibus corpus componitur in infinitum, ut substantiis simplicibus elementaribus non opus sit? Si datur talis regressus, erit quidem praestō sufficiens ratio pro singulis membris: sed non aderit ratio sufficiens metaphysice, pro tota serie, quae ratio in universum decidere & cur ipsa tot membris contingentibus coiens series existat, probare debet. Qui concedunt materiam mundi actu esse divisibilem in infinitum, licet natura non in infinitum dividat, atheis respondere non possunt. vid Cantzii medit. philosoph.

SOLI DEO GLORIA.